

Textskriptum für die Latein- Ergänzungsprüfung

Dieses Textskriptum dient als Grundlage für den mündlichen Teil der Latein-Ergänzungsprüfung bei allen Prüfern.

Die Sammlung setzt sich aus folgenden Teilen zusammen:

Nr. 1-8: frühere schriftliche Klausuren

Nr. 9-12: schriftlicher Prüfungsteil aus dem Studienjahr 2020/2021 (geringere Wortanzahl, weil schriftlich zusätzlich ein bekannter Text geprüft wurde)

Nr. 13-19: weitere Texte (teilweise schon im alten Textskriptum enthalten)

Zum mündlichen Prüfungsteil kommt jeweils ein Ausschnitt aus einem der folgenden Texte von ca. 50-60 Wörtern.

1.

Hercules tötet im Auftrag des Königs Eurystheus den nemeischen Löwen

- 1) Primus labor, quem rex Herculi mandavit, in eo constitit, ut ab illo pellis leonis Nemei¹ sibi esset afferenda.
- 2) Istud monstrum, quod habitabat in silvis Peloponnesi, non poterat vulnerari armis humanis.
- 3) Alii dicebant istum esse filium Typhonis² gigantis, alii istum a luna ad terram decidisse.
- 4) Itaque Hercules profectus est; dorso imposuerat pharetram, alteri manui arcum, alteri clavam ex oleastro confectam.
- 5) Nemeam cum venisset, Hercules quoquoversus oculos convertibat, ut bestiam inveniret, antequam conspiceretur ab illa.
- 6) Tandem leo accucurrit, ut praeda capta rediret ad cavernam.
- 7) Heros, qui bestiam vidit e longinquo venientem, in dumetum se abdens vitam suam servavit, deinde exspectavit, dum leo appropinquaret, et sagittam iaculatus est.
- 8) At telum non pervasit cutem, sed pectore reiectum decidit ad monstri pedes.
- 9) Hercules manum erigebat ad aliam sagittam capiendam, cum leo virum conspexit et impetum facturus saliens in adversarium invectus est.
- 10) Qui dextra manu clavam super caput bestiae vibratam cervici imegit, ut leo pedibus trementibus et capite vacillante consisteret.
- 11) Ne resipisceret, Hercules leoni praevenit: a tergo appropinquavit et brachiis gulam ita compressit, ut leo suffocaretur.
- 12) Deinde pelle eius detracta revertit.
- 13) Rex autem Herculem cum conspiceret pellem bestiae atrocissimae apportantem, tam vehementer territus est, ut reperet in ollam aheneam.

¹ Nemeus 3: Adj. zu „Nemea“

² Typhon, Typhonis

2.

Karl der Große entgeht einem Anschlag, den sein illegitimer Sohn Pippin gegen ihn plante:

1) Karolus a filio per concubinam progenito nomine Pippini paene morti damnatus est, sed hoc modo res est patefacta:

2) Cum Pippinus in ecclesia Sancti Petri³ cum quibusdam nobilibus de morte imperatoris consiliatus esset, finito consilio eos iussit explorare, si quis usquam esset absconditus.

3) Et ecce, ut timuerunt, invenerunt unum clericum sub altari latitantem;

quem comprehendentes ad iuramentum cogerunt, ne proditor coniurationis fieret.

4) Qui, vitae servandae causa, iurare non renuit, sed illis recedentibus iuramentum negligens ad palatium properavit.

5) Cumque per septem ostia cum maxima difficultate tandem ad cubiculum imperatoris pervenisset portamque pulsavisset, Karolus maxime est admiratus, quis eo tempore eum praesumeret inquietare.

6) Praecepit tamen feminis, quae reginam vel filias comitari solebant, ut exirent et viderent.

7) Quae exeuntes cognoscentesque hominem vilissimum clausis ostiis cum ingenti risu se per angulos conabantur abscondere.

8) Sed imperator diligenter a mulieribus quaesivit, quid haberent, responsumque accipiens quendam insanientem vestibus vilissimis indutum⁴ se sine mora postulare alloqui iussit eum admitti.

9) Qui statim procidens ad pedes illius cuncta patefecit ex ordine.

10) Ita omnes illi coniuratores dignissima poena sunt affecti, ipse quoque Pippinus in exilium missus.

³ gemeint ist der Dom von Regensburg

⁴ indutus: bekleidet

3.

König Apollonius von Tyrus, Hauptperson eines antiken Romans, gerät auf einer Schiffsreise in einen Seesturm

1) In illa caligine tempestatis omnes perierunt, Apollonius autem unius tabulae auxilio in Pentapolitarum⁵ est litore appulsus.

2) Interim stans Apollonius in litore nudus, intuens tranquillum mare ait:

3) „O Neptune, rector pelagi, hominum deceptor innocentium, propter hoc me servavisti, quo⁶ facilius rex crudelissimus Antiochus⁷ persequatur!

4) Quo itaque ibo? Quam partem petam?“

5) Sed subito vidit quendam grandaevum, sago sordido indutum.

6) Procidens illius ad pedes effusis lacrimis ait: „Miserere mei, quicumque es, succurre naufrago et egeno!

7) Ego sum Tyrius Apollonius, patriae meae princeps. Audi nunc tragoediam calamitatis meae!“

8) Itaque piscator misericordia commotus erigit eum et tenens manum eius duxit eum intra tecta domus suae, et posuit cibos quos potuit.

9) Et ut plenius misericordiam suam ostenderet, exuens se tribunarium⁸ suum, scindit eum in partes duas et dedit unam iuveni dicens:

10) „Tolle hoc, quod habeo, et vade in civitatem: forsitan invenies, qui tibi misereatur.

11) Et si non inveneris, huc revertere et mecum laborabis et piscaberis.

12) Tamen admoneo te, ut, si quando deo adiuvante redditus eris patriae, respicias paupertatem meam.“

⁵ Pentapolis: Landschaft am libyschen Meer.

⁶ = ut eo (damit umso)

⁷ König von Antiochia, Apollonius war auf der Flucht vor ihm.

⁸ tribunarium: Mantel

4.

Der heilige Franz von Assisi und die Lämmer

1) Sanctus Franciscus quondam cum esset in itinere, fratre Paulo eum comitante, viro cuidam obviavit, qui duos agniculos⁹ suspensos et ligatos in umero suo ad forum, ut venderet, portabat.

2) Cumque agnos balantes Franciscus audivisset, commotum est pectus eius et appropinquans tetigit eos, sicut mater plorantem filium, affectum compassionis¹⁰ ostendens.

3) Et ait ad virum: „Quare fratres meos agnos sic ligatos et suspensos excrucias?“

4) Qui respondens ait: „Eos ad forum porto, ut vendam, pretii necessitate compulsus.“

5) Et ait sanctus: „Quid postea fiet de illis?“

6) Ad quem ille: „Emptores“ inquit „eos interficient et manducabunt.“

7) „Absit!“ respondit sanctus, „non fiat istud! Sed tolle pro pretio mantellum, quem porto, et agnos mihi concede!“

8) Qui alacri animo agniculos tribuit et mantellum suscepit, quoniam multo maioris pretii erat mantellus, quem frigoris expellendi causa sanctus a quodam fideli viro susceperat ea die.

9) Deinde sanctus, susceptis agniculis, secum cogitabat, quid de ipsis faceret.

10) Et habito consilio fratris associantis¹¹ eum, eos viro reddidit praecepitque ei, ne ullo tempore venderet eos nec malum aliquod eis inferret, sed conservaret et nutrireret studiose.

⁹ agniculus:Lämmchen (Verkleinerungsform von agnus)

¹⁰ compassio, -onis f.: Mitleid

¹¹ associare: begleiten

5.

Hahn und Fuchs (eine Fabel)

- 1) Esuriens quondam vulpes ad decipiendas gallinas, quae gallo duce arborem excelsiorem, quo ei aditus non erat, ascenderant, gallum blandis verbis adiit.
- 2) Quem cum comiter salutavisset, „Quid in excelso agis?“ inquit. „Nonne audivisti nova haec recentia tam salutaria nobis?“
- 3) Gallus se audivisse negavit. Tum vulpes: „Huc accessi,“ ait, „ad communicandum tecum gaudium magnum.
- 4) Animalium omnium concilium celebratum est, in quo pacem perpetuam omnium animantium inter se firmaverunt, ita ut omni sublato timore nulli ab altero insidiae aut iniuriae fieri possent, sed pace et concordia omnes fruerentur.
- 5) Licet abire omnibus, quo velint, secure. Descendite igitur, et hunc festum agamus diem!“
- 6) Agnita vulpis fallacia gallus: „Bonum,“ inquit, „affers nuntium et mihi gratum,“ et simul collum altius protendit et longius prospecturus in pedes se erexit.
- 7) „Tu quid aspicias?“ vulpes cum dixisset, gallus respondit: „Duos magno cursu, ore patulo advenientes canes.“
- 8) Tum tremebunda vulpes: „Valete,“ inquit, „mihi fugere necesse est, antequam illi adveniant,“ et simul coepit abire.
- 9) Hic gallus: „Quo fugis, aut quid times? Nam pace constituta nihil est timendum.“
- 10) „Dubito,“ inquit vulpes, „an canes isti audiverunt decretum pacis.“ Hoc modo dolo illusus est dolus.

Die Herkunft des Zauberers Merlin

- 1) Vortigernus¹² rex turrim sibi iusserat aedificari fortissimam, sed quicquid uno die aedificabatur, proxima nocte absorbebatur a terra.
- 2) Consuluit igitur magos suos, qui dixerunt, ut iuvenem sine patre quaereret quaesitumque interficeret, ut sanguine eius fundamentum turris irrigaretur.
- 3) Legati missi ad talem hominem quaerendum reppererunt duos iuvenes litigantes, quorum alter Merlinus dicebatur, alter Dinabutius.
- 4) Dixit Dinabutius ad Merlinum: "Numquam nobis eadem erit nobilitas: ego enim ex regibus originem duxi, de te autem nescitur, quis sis, cum patrem non habeas."
- 5) Legatis interrogantibus, quis esset, responsum est patrem eius ignotum esse.
- 6) Adductus est ergo Merlinus cum matre ad regem, qui diligenter a matre perquirebat, de quo viro iuvenem concepisset.
- 7) Illa ait: "Domine mi rex, unum tantum scio: apparebat mihi dormienti quidam in specie pulcherrimi iuvenis et amplectens me saepissime osculabatur, deinde evanescebat.
- 8) Cumque hoc modo me diu frequentavisset, tandem me gravidam dereliquit, sed aliter non cognovi virum."
- 9) Admirans autem Vortigernus rogavit magos, num id, quod dixerat mulier, fieri potuisset.
- 10) Illi responderunt: "Inter lunam et terram habitant maligni spiritus, quos daemones vocamus, qui, cum volunt, assumunt humanas figuras et cum mulieribus coeunt.
- 11) Forsitan aliquis illorum huic mulieri stuprum intulit et iuvenem hunc generavit."

¹² Vortigern: britischer König

7.

Der italienische Latinist Luigi Miraglia (geb. 1965) erzählt, wie es ihm als Kind beim Lateinlernen erging.

- 1) In congressibus magistrorum linguae Latinae Aloisius¹³ Miraglia, vir in Latinitate excellentissimus, haec fere narrare solet:
- 2) „Cum essem puer tredecim annorum et coepissem discere linguam Latinam in schola, post breve tempus mihi haec lingua fiebat odiosissima.
- 3) Nam ab initio vexabamur et cruciabamur declinationibus et coniugationibus et exceptionibus et aliis rebus huius generis et tamen nihil intelligebamus.
- 4) Textus brevissimi nobis proponebantur vertendi in Italicum sermonem; agebatur de decem lineis etiam simplicissimis, nihilominus his decem lineis inducebamur in errores inextricabiles, quasi in labyrinthum Minotauri, unde territi et desperantes exitum invenire non poteramus.
- 5) Ergo odio huius rei moti interrogabamus magistros nostros: ‚Sed qua de causa debemus linguam Latinam discere? Est lingua mortua!
- 6) Cur discenda est lingua, cum nemo ea loquatur neque ulli nobis usui sit ad vitam cottidianam?‘
- 7) Ad hoc nihil aliud respondere poterant nisi plus minusve hoc:
- 8) ‚Lingua Latina non sicut aliae linguae discitur, ut ea loquamur, sed propterea quod est maxima quasi palaestra¹⁴, in qua nos exercere possumus mentem nostram, et hac exercitatione meliores fimus ad quascumque alias res percipiendas atque intelligendas.‘
- 9) Sed hoc responsum valde mihi displicebat.“

¹³ latinisiert für Luigi

¹⁴ palaestra: Sportplatz, Übungsplatz

8.

Theseus kann mit Ariadnes Hilfe die Athener von dem Ungeheuer Minotaurus befreien, verspricht sie zu heiraten, verlässt sie jedoch dann.

- 1) Cum Minos, Iovis et Europae filius, contra Athenienses bellum gereret, filius eius Androgeus in pugna est occisus.
- 2) Athenienses postquam victi sunt, vectigales Minois esse coeperunt.
- 3) Instituit enim ille, ut anno unoquoque¹⁵ septenos liberos suos Minotauro ad epulandum mitterent.
- 4) Theseus cum audivisset, quanta calamitate civitas afficeretur, voluntarie se ad Minotaurum pollicitus est iturum¹⁶.
- 5) Quem cum pater mitteret, praedixit ei, ut, si victor reverteretur, vela candida in nave haberet; qui autem ad Minotaurum mittebantur, velis atris navigabant.
- 6) Theseus postquam Cretam venit, Ariadna, Minois filia, amore eius capta est adeo, ut hospitem adiuveret ad labyrinthum relinquendum.
- 7) Theseus Minotauro interfecto monitu Ariadnae licio revolvendo foras est egressus, eamque, quod fidem ei dederat, in matrimonium ducturus avexit.
- 8) Theseus in insula Dia tempestate retentus timuit, ne sibi opprobrium esset, si Ariadnam in patriam portavisset; itaque in insula Dia dormientem reliquit; quam Bacchus amans inde sibi in coniugium abduxit.
- 9) Theseus autem, cum domum navigaret, oblitus est vela atra mutare; itaque Aegeus, pater eius, credens Theseum a Minotauro esse consumptum in mare se praecipitavit, ex quo Aegeum pelagus est dictum.

¹⁵ im Wörterbuch s. unter „unus“

¹⁶ erg. „esse“

9.

König Antiochus stellt den Freiern, die um die Hand seiner Tochter anhalten, ein Rätsel. Als Apollonius von Tyrus die Lösung findet, will ihm Antiochus die Tochter trotzdem nicht geben.

1) Rex ut vidit iuvenem quaestionis¹⁷ solutionem invenisse, sic ait ad eum: "Erras, iuvenis, nihil verum dicis. Decollari quidem mereberis, sed habes triginta dierum spatium: recogita tecum.

2) Et cum reversus eris et quaestionis meae propositae solutionem inveneris, accipies filiam meam in matrimonium."

3) Sed post discessum iuvenis Antiochus rex vocat ad se ministrum nomine Taliarchum et dicit ei: "Taliarche, ministrorum fidelissime, ascende navem ad persequendum iuvenem, et cum veneris in patriam eius, conquires inimicum eius, ut eum aut ferro aut veneno interimat."

4) Pervenit tamen Apollonius prior ad patriam suam et aperto scrinio codicum suorum inquisivit quaestiones omnium philosophorum.

5) Et cum aliam non invenisset solutionem, ad se ipsum locutus est: "Quid agis, Apolloni? Quaestionem regis solvisti, filiam eius non accepisti, sed ideo dilatus es, ut neceris."

¹⁷ quaestio, -onis f.: Rätsel

10.

Paulus Diaconus erzählt, wie sein Urgroßvater Lopichis aus der Gefangenschaft im Awarenland in seine Heimat Italien zurückkehrte.

1) Lopichis, qui noster postea proavus exstitit, captivitatis iugum abicere et ad Italiam, ubi gens Langobardorum habitabat, contendere statuit.

2) Qui cum profectus esset, pharetram tantum et arcum et aliquantulum cibi propter viaticum gerens, nesciretque omnino, quo pergeret, ei lupus adveniens comes itineris et ductor effectus est.

3) Lupus cum ante eum ambularet et frequenter post se respiceret et cum stante subsisteret atque cum pergente praeiret, intellexit sibi eum divinitus datum esse ad iter, quod nesciebat, ostendendum.

4) Postquam nonnullos dies per montium solitudines hoc modo ierunt, panis ei viatori, quem exiguum habuerat, omnino defecit.

5) Iam fame tabefactus tetendit arcum suum et eundem lupum, ut eum in cibum sumere posset, sagitta interficere voluit.

6) Sed lupus ictum ferientis praecavens sic ab eius visione elapsus est.

11.

Zu zwei lateinischen Sprichwörtern

A)

1) Brutus cum Caesarem occidisset et in Macedoniam cum exercitu concessisset, media nocte hoc somnium vidit:

2) Caesar occisus ei apparuit, et cum pauca verba locutus esset, Brutus interrogat: „Cur venis?“

3) Et ille dixit: „Apud Philippos iterum me videbis“ et ex oculis evanuit in tenebras.

4) Ex eo tempore Brutus potuit scire de ultione, quae super caput eius impendebat.

B)

1) Apud Erasmus Roterodamensem legimus: „Gaius Caesar ad Rubiconem, qui fluvius Italiam a Gallia disternat, paulisper secum haesitans animoque reputans, quam arduam rem moliretur, posteaquam ostento est animus additus: „Eamus“ inquit „quo deorum ostenta, quo inimicorum iniquitas vocat: lacta esto alea!“

2) Adnotandum videtur Erasmus non eam dicti formam adhibuisse, quae a Suetonio scriptore traditur: „lacta alea est“, sed imperativo usum esse: esto!

12.

Odysseus bei der Zauberin Kirke

- 1) Ulixes cum pervenisset ad Circen Solis filiam, Eurylochum cum sociis praemisit, quos illa potione data statim in feras bestias immutavit.
- 2) Eurylochus timens non intraverat, sed inde fugit et Ulixi nuntiavit, qui solus ad eam contendit; sed in itinere Mercurius ei remedium dedit ad Circen decipiendam.
- 3) Ulixes postquam poculum ab ea accepit, remedium Mercurii monitu coniecit strictoque gladio minatus est, nisi socios sibi restitueret, se eam esse interfecturum.
- 4) Tunc Circe intellexit non sine voluntate deorum id esse factum; itaque socios eius ad pristinam formam restituit.
- 5) Inde Ulixes proficiscitur ad inferos ibique invenit Elpenorem socium suum, quem ad Circen reliquerat.
- 6) Ille narravit se ebrium per scalam cecidisse et cervices fregisse et petivit ab eo, cum ad superos rediret, ut se sepulturae traderet et sibi in tumulo gubernaculum poneret.

13.

König Oedipus

Laio, Labdaci filio, regi Thebanorum, ab Apolline erat responsum, ut mortem de manu filii sui caveret. Itaque cum locasta, uxor eius, peperisset, iussit infantem exponi. Quem inventum Polybus, rex Corinthi, eiusque uxor, quod orbi erant liberis, pro suo educaverunt eumque Oedipum nominaverunt. Postquam Oedipus ad puberem aetatem pervenit, fortissimus praeter ceteros erat, eique per invidiam aequales obiciebant eum subditum¹⁸ esse Polybo. Quod Oedipus sensit non falso¹⁹ sibi obici. Itaque, cum veros parentes cognoscere voluisset, Delphos est profectus patremque obviam habuit²⁰. Oedipus iratus, quia ille sibi viam dari iusserat, inscius patrem suum de curru detraxit et occidit. Tunc regnum paternum et locastam matrem inscius accepit uxorem, ex qua procreavit liberos. Interim Thebis sterilitas frugum et penuria incidit ob Oedipodis scelera. Dum haec Thebis geruntur, Corinthi Polybus decedit. Quo audito Oedipus moleste ferre²¹ coepit existimans patrem suum obisse; sed cum audivisset, quorum parentum filius esset et vidisset se tot scelera nefaria fecisse, ex veste matris fibulas detraxit et se luminibus²² privavit.

14.

Das Trojanische Pferd

Achivi cum per decem annos Troiam capere non possent, Epeus monitu Minervae equum mirae magnitudinis ligneum fecit; eoque sunt collecti fortissimi Achivi. In equo scripserunt: „Danai Minervae dono dant²³“, castraque transtulerunt Tenedo²⁴. Id Troiani cum viderunt, arbitrati sunt hostes abisse. Priamus equum in arcem Minervae duci imperavit. Cassandra autem cum vociferaretur inesse hostes, fides ei habita non est. Cum Troiani igitur equum in arce posuissent et ipsi lusu atque vino lassi obdormissent²⁵, Achivi ex equo aperto exierunt et portarum custodes occiderunt sociosque signo dato receperunt et Troia sunt potiti.

¹⁸ subditus: unterschoben

¹⁹ falso (Adverb): fälschlich

²⁰ obviam habere: begegnen

²¹ moleste ferre: traurig sein

²² lumen: hier = Auge(n)licht

²³ dono dare: als Geschenk geben

²⁴ Tenedo (Dat. des Ziels): nach Tenedos (Insel nahe Troja)

²⁵ Kurzform für: obdormivissent

15.

Die Heimkehr des Odysseus

Ulixes postquam de insula nymphae²⁶ decessit, vitam in fluctibus amisisset, nisi a dea quadam adiutus esset. Nudus et fessus postremo ad insulam Phaeacum pervenit. Nausicaa, regis filia, cum ancillis ab urbe secesserat et in ripa fluminis vestem lavabat. Subito vir, foliis tantum tectus, e silva processit et auxilium ab ea petivit. Nausicaa primo perterrita est. Tum concessit, ut Ulixes accederet, et veste eum operuit. Ulixes cum inter puellas usque ad portas urbis incessisset, domum regiam vidit. Nausicaa, ut quidam putant, hospitem adamavit et ad regem adduxit. Apud eum Ulixes omnes errores suos exposuit. Rex eum multis donis instruxit et in patriam deduci iussit. Profecto nautae eum dormientem in insula Ithaca deposuerunt. Ulixes cum in domo sua esset, multis cum periculis Penelopam, coniugem fidam, e manibus procorum²⁷ liberavit. Cum Ulixes post multos annos de vita decessisset, Telemachus filius in locum patris successit.

16.

Medea

Medea cum ex Iasone iam duos filios procreasset²⁸ et cum marito summa concordia viveret, Graeci Iasoni obiciebant hominem tam fortem uxorem advenam atque veneficam habere. Qua re Creon, rex Corinthius, filiam suam ei uxorem dedit, cum ab eo peteret, ut Medeam dimitteret. Cum Medea vidisset se tanta contumelia esse affectam, coronam ex veneno fecit auream atque iussit eam novae sponsae Iasonis dari. Quae munere accepto statim conflavit. Sed Medea hoc videns natis suis interfectis Corintho profugit.

17.

Das Parisurteil

Cum Thetis, Iovis filia, Peleo nuberet, ad epulum dicitur Iuppiter omnes deos convocavisse excepta Eride, id est Discordia. Quae cum postea supervenisset nec admitteretur ad epulum, ab ianua misit in medium malum dixitque, ut, quae esset formosissima, attolleret. Itaque Iuno, Venus, Minerva formam sibi vindicare coeperunt; inter quas magna Discordia orta

²⁶ gemeint ist Kalypso, bei der sich Odysseus eine Zeitlang aufgehalten hatte

²⁷ Diese hatten sich während der Abwesenheit des Odysseus in dessen Haus niedergelassen und wollten Penelope heiraten.

²⁸ Kurzform für „procreavisset“

Iuppiter imperat Mercurio, ut deducat eas in Ida monte ad Paridem eumque iubeat iudicare. Cui Iuno, si secundum se iudicavisset, pollicita est in omnibus terris eum regnaturum; Minerva, si inde victrix discederet, fortissimum eum inter mortales futurum. Venus autem Helenam, formosissimam omnium mulierum, se in coniugium daturam promisit. Paris donum posterius prioribus anteposuit Veneremque pulcherrimam esse iudicavit; ob id Iuno et Minerva Troianis fuerunt infestae. Paris Veneris impulsu Helenam a Lacedaemone Troiam abduxit eamque in coniugio habuit.

18.

Die Bürgschaft

In Sicilia Dionysius tyrannus crudelissimus cum esset, Moerus tyrannum voluit interficere; quem satellites cum deprehendissent armatum, ad regem perduxerunt. Qui interrogatus respondit se regem voluisse interficere. Quem rex iussit crucifigi; a quo Moerus petit tridui commeatum, ut sororem suam collocaret et daret tyranno Selinuntium amicum suum, qui sponderet eum tertio die venturum. Cui rex indulgit commeatum ad sororem collocandam dicitque Selinuntio, nisi ad diem Moerus venisset, eum eandem poenam passurum, Moerumque dimisit. Qui collocata sorore cum reverti vellet, repente tempestate orta flumen ita crevit, ut nec transiri nec transnari posset; ad cuius ripam Moerus consedit et flere coepit timens, ne amicus pro se periret. Cum iam horae novem tertii diei praeterissent neque Moerus revertisset, tyrannus iussit duci Selinuntium ad crucem. Qui cum duceretur, vix tandem Moerus superato flumine consequitur carnificem exclamatque a longe: „Sustine, carnifex, adsum, pro quo ille spondit!“ Quod factum tyranno nuntiatum est. Dionysius eos perducere ad se iussit vitamque Moero concessit rogavitque eos, ut se in amicitiam reciperent.

19.

Die Eroberung von Syrakus

Cum anno ante Christum natum ducentesimo duodecimo exercitus Romanus in Siciliam venisset, ut insulam expugnaret, etiam Syracusae circumventae sunt. Syracusani machinationibus Archimedis, illius clari mathematici, diu copias hostium ab urbe arcere potuerunt. Ab illo viro multas leges naturae repertas esse omnibus notum est. Cum urbs ab exercitu Romano expugnaretur, Marcellus, imperator Romanus, qui haec omnia scivit, edixit, ne quis Archimedes necaret. Cum ceteri cives metu permoti urbem relinquerent, Archimedes in horto sedebat et geometricis formis intentus erat. Cum unus ex militibus Romanis praedae causa in hortum veniret eumque videret, ab eo quaesivit, quis esset. Is autem nimio sapientiae studio laboribus nondum finitis hoc solum respondit: „Noli turbare circulos meos!“ Tum a milite, qui eum Archimedes esse non scivit, necatus est.

